

G H W

1 6 2 4



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia  
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Discipline:  
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem  
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
 plinam ipsam: alia a. mediate et per accidens, et propter disciplinas  
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.  
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

21

SPECIALIS  
METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO I.

*De*

SUBSTANTIA

IN GENERE,

*ejusq;*

NATURA COMMUNI ABSOLUTE SPECTATA,

*Quam*

Auspicio Divini Numinis

SUB PRESIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstadiâ Halberstadensis, Facultat.

Philosoph. Adjuncti,

*in celeberrimâ*

WITTEBERGENSIUM ACADEMIA

*Placido Examini submittit*

SEBASTIANUS HOMMEL

Chemnicensis Elect. Sax. Alumn.

*Ad diem 22. Januar. horis a. 7. matutinis.*



WITTEBERGÆ,

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,

Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIV.



METAPHYSICA  
DISPUTATIO  
DE  
SUBSTANTIA  
IN GENERE,  
NATURA COMMUNI AB-

M. JOHANNIS SCHARRII

PHILOSOPHIAE  
ACADEMIAE  
HALLENSIS

CHRISTIANI TAMM

MDCCLXXIX





# SPECIALIS METAPHYSICÆ

## DISPUTATIO PRIMA,

### Proœmium.



**A**bsolvimus hucusq; divino favente Numine, *eam* Metaphysicæ, hoc est, primæ Philosophiæ, contemplationem, quæ Ens, in quantum Ens, in generalissimâ suâ naturâ, & in universalissimis affectionibus considerat; quæ uti primam & generalem, ita & præcipuam hujus sapientiæ partem constituit, quæq; maximam habet in omnibus scientiis utilitatem: nunc porro ad alteram Metaphysicæ partem, quam specialem appellitant, progrediamur, oportet; in qua de speciebus Entis, (sic enim loqui cogimur, licet accurate loquendo Ens non habeat species, cum propriè non sit Genus,) seu de Modis Specificis Entis, nempe de Substantiâ & Accidente, agi solet. Inprimis verò hic præmonendum esse censemus, quod quidem Metaphysicus in speciali hac suæ sapientiæ parte agere debeat de particularibus rebus: utpote de Substantiæ & Accidentium speciebus: veruntamen non sub propria formâ & ratione, h. e. agitur hic de speciebus Entium, non sub quidditate particulari, quasi explicetur hic *universa natura & essentia propria rerum omnium particularium*. Sic enim Metaphysica fieret monstrum & confusio omnium Scientiarum: sed hoc loco de Substantiis & Accidentibus agitur sub ratione Entis, quatenus nimirum Ens & omne Ens contrahunt, idq; ad specificam quandam aut specificam analogam rationem determinant; vel quatenus Ens juxta quidditates particulares dividunt, idq; in certas determinatasq; classes restringunt. Uno verbo dicam. Metaphysicus agit de Substantiâ & Accidente, eorumq; speciebus, quatenus sunt analogata Entis, & summa rerum genera, & in quæcumque sunt Entia talia vel talia in suis modis & determinationibus specificis. Hinc accuratiores, ut mihi videntur, Metaphysici, duo ponunt specialis seu propriæ partis Metaphysicæ momenta: quorum prius agit de contractione Entis, quando nimirum Ens contrahitur per subsistentiam & inhærentiam, ut ad specificam aliqualem rationem determinatum fit vel Substantia, vel Accidens: posterius verò monet de determinatione Entis ad objecta inferiorum scientiarum.

*scientiarum.* Quia scilicet prima hæc Philosophia est *Regina omnium disciplinarum philosophicarum*: ideo non tantum *leges* suis subditis de *et describere*, ut quàm maximè factitatum est in supra dictis; verùm etiam *isdem certos terminos ponat, & circa que versari debeant, ostendat*, incumbit, hoc est, determinet reliquarum Philosophiæ partium objecta. Quod ipsum ut fiat, ad *particulares quidditates* rerum quodammodo sese demittit sapientia hæc, in quantum illa determinatio objectorum requirit; interim ubiq; sub *ratione Entis*, ut jam modò indigitatum est. Et hinc est illa *evolutio decem summorum generum*, quâ non saltem *Ens & omne Ens* dividitur in *Substantiam & Accidens*: sed insuper hæc ipsa *Entis genera* disperseuntur in *suas species & specierum species*; usq; ad *Individua*, quæ dum *multitudine infinita* sunt, ibi *Plato* jubet quiescere. Nos hac vice, *juxta consuetam Doctorum sententiam*, communi methodo acturi breviter ea, quæ aliàs solent in speciali *Metaphysicæ parte* proponi, perlustrabimus. Faxit *J E H O V A H I*, ut opus hoc feliciter procedat, & fructuosè perficiatur.

*T H E S I S I.*

**R**ECÈ docet *Combach lib. Metaph. c. 9.* quod *divisio Entis secundum rem fiat vel juxta modos intrinsecos, vel juxta quidditates Entis particulares.* Vidimus enim in superioribus disputationibus, quomodo *Ens variè dividatur in varias Affectiones*, quibus natura *Entis* modificabatur. Nunc hic porrò *dividendum est Ens in sua Analogata, specificè inferiora*: nempe in decem *suprema Genera*; qua divisione *Ens omninò contrahitur ad particulares essendi quidditates.* Inde scilicet *Ens restringitur ad certas Entium classes, & certis quasi cancellis includitur, ut amplius vagâ libertate non gaudeat, qua omnia Entium genera pervagetur.*

II. Inprimis autem observandum est, quod omnia *Entia*, quæ verè existunt, & esse certum obtinent, *ad duo summa capita* soleant revocari, juxta *versiculum vulgarem*:

*Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,*

*In duo divisit, quicquid in orbe fuit.*

III. Scilicet omne *Ens* est vel *Substantia* vel *Accidens*, ita ut nullum *Ens verum*, in *Naturâ realiter existens*, quod  
per

per se unum est & simplex, dari possit, quod non ad alteru-  
trum membrum hujus divisionis redigi possit. Notanter di-  
co: *Ens verum & reale*. Modi enim huc non quadrant, nec  
attributa Entis universalia. Dico etiam, *Ens in naturâ reali-  
ter existens*: Etenim nec rationis entia, nec universales re-  
rum conceptus huic divisioni subjiciantur. Dico deniq̃;  
*Ens simplex & per se unum*. Concreta enim & Entia per acci-  
dens potius sunt Entia, quàm Ens unum. Itaq̃; nisi resolvantur  
in unum simplex, non debent divisim hic æstimari.

IV. Cæterum Substantia & Accidens vel *conjunctim si-  
mul* considerantur, vel *seorsim & solitariè*. Priore modo mul-  
tum disquirunt Auctores *de divisione Entis in Substantiam &  
Accidens*: An sit prima, nec ne? Et qualis sit? Num univoca,  
num æquivoca, an verò analogica? De quibus prolixè dis-  
putat *Suarez disp. 32. & Scheibl. l. 2. Metaph. c. 1.* Nos breviter  
dicimus, quod *Ens analogicè dividatur in Substantiam & Ac-  
cidens*. *πρώτως* enim Substantia est Ens, *ἁπλώς* & dependen-  
ter à Substantiâ Ens est Accidens. Hoc enim inhæret Sub-  
stantiæ, & ab eâ sustentatur. item, quod sit *omnis Entis divi-  
sio in suas certas species, aut in talia inferiora, quæ specierum  
loco sunt*; & quidem, quod sit *prima Entis divisio*. Etenim ex  
*ipsâ ipsius Entis essentiâ* derivatur. Nam Substantia dicit  
ipsum Ens, & Accidens dicit ipsum Ens, cum suo scilicet cer-  
to modo, quo revera in suâ naturâ existit. Confer *Part. Me-  
taph. Dn. D. Jac. Mart. lib. 2. sect. 4.*

V. Sed ut *seorsim* de istis Entis speciebus agamus, prius  
*de Substantiâ* disquiramus oportet. Ut autem commodius  
hoc fiat, attendendum est, quod *Substantia* considerari pos-  
sit vel *in suâ naturâ communi*, vel in speciebus suis.

VI. Prior contemplatio Substantiæ, uti *universalis* est;  
sic etiam *potissimum ad Metaphysicam pertinet*: proinde nunc  
in disputationibus futuris quàm maximè satagemus, ut illam  
expeditam sistamus.

VII. *Natura substantia communis* explicatur tum *ratione Vocis*, tum *ratione Rei*. Vox *Substantia* est ambigua. Nam 1. sumitur *Generaliter pro omni Ente*: quo sensu dixit Augustinus, *non esse, quod Substantia non est*. 2. Sumitur *pro essentia rei*: ita dicitur, quod *definitio indicet rei substantiam*. Atq; hæc acceptio oritur pro græca voce *σῆμα*, quæ & *Substantiam* & *essentiam* significat. 3. *Substantia* non raro idem est, quod *subjectum*. Sic Aristoteles *magnitudinem in Mathesti vocat Substantiam*. 4. *Substantia opponitur Accidenti predicamentali*. Et ita hoc loco accipitur.

VIII. Volunt autem Autores, substantiam dici partim *à substando*, quod *accidentibus aut attributis essentialibus & universalibus*, hoc est, generibus & speciebus substet, *ex Arist. lib. categ. cap. 5.* vel *à subsistendo*, quod *Substantia per sese subsistat*, & non in alio, ut *Accidens*. Prior Etymologia magis *Logica* est: posterior magis *Metaphysica*.

IX. Quod si *substare* explicetur negativè, ut *substare illud dicatur, quod non eget alio, in quo fulciatur*; jam illa prior derivatio etiam hic omninò obtinebit. Qua de re vide sis *Scheibl. l. 2. Metaph. c. 1. n. 47.*

X. *Ratione Rei* substantia consideratur, tum *in sua Quidditate & essentiâ*, tum *in suis Proprietatibus & attributis*.

XI. *Quidditas seu essentia Substantia* explicatur vel *absolute* vel *determinate*. Illud fit, definiendo præcisè, & *indagando absolutam substantia rationem*, quæ omnibus indiscretim conveniat. Hoc verò contingit, ostendendo & quasi *dividendo essentiam Substantia per gradus*, prout ratio *Substantia* magis apparet, & fortius se exferit sub aliâ atq; aliâ limitatione.

XII. *Absoluta & abstractissima Substantia Quidditas* facile innotescit *ex formali ratione Substantia*, quæ est *subsistentia* vel *substare*. Ut enim *Accidentis esse est inesse*: sic ex opposito *Substantia essentia* consistit in *per se esse*, & non in alio



alio instar accidentis seu inhaerentis, quod est subsistere. Etenim τὸ *subsistere* nihil aliud est, quàm *modus determinatus existendi per se, nec non sine dependentia à subjecto, cui inhaereat*. Sic enim generaliter illi opponitur inexistere seu inesse; quemadmodum subsistentiæ contradistinguitur inhaerentia.

XIII. Cautè verò hic norandum & observandum est, quod *subsistere*, (ut & *subsistentia*) duobus dicatur modis. Nunc enim *denotat subsistentiam Hypostaticam*, quæ suppositorum propria est: quæ *πεῶτως & excellenter ita dicitur*. Supposita enim maximè subsistunt, ut infra dicetur fusius. Et hæc subsistentia in creaturis est modus substantialis, ultimò terminans substantialem naturam, constituensq; rem per se subsistentem & incommunicabilem: uti describit *Dn. D. Jacob. Mart. Part. Met. l. 2. s. 5. thes. 26*. Quæ subsistentia, quia solis suppositis competit, non est huius loci, nec universaliter dicit aut explicat essentiam Substantiæ, ut sic.

XIV. Deinde *subsistere* accipitur universalius, pro tali modo existendi, juxta quem res per se existit, & non in alio, cui tanquam subjecto ita innitatur, ut sine illo esse non possit. Et sic formalis ratio substantiæ est subsistentia.

XV. Rectè ait *Dn. D. Jac. Mart. substantia notat certam existentiam formam & rationem, ipsis substantiis propriam, quæ ita dicuntur existere, ut ad sui productionem non indigeant alio Ente, præter principia substantialia: l. 2. Part. Met. s. 4. thes. 49*.

XVI. Quàm commodissimè verò illud τὸ *subsistere* omnibus substantiis commune explicatur *Negative*, per non esse in alio, tanquam in subjecto, ita ut omnis substantia subsistat, seu per se existat, dum non inhaeret alteri, nec subjectatur alteri, sine quo existere non possit. Ubi scies *in subjecto esse id dici, quod, cum insit, non est pars rei, & omnino esse non potest, nisi in illa re*: quomodo sola & omnia accidentia inhaerent & hærent in substantiis. Et ita generaliter substantiæ natura explicatur *negative per non inesse in alio*.

XVII. Hinc

XVII. Hinc describitur: *Substantia est Ens, quod revera proprium esse habet à seipso, nec est in alio, tanquam in subiecto.*

XVIII. Dicitur autem, *Substantiam habere proprium esse à seipso, non ratione causæ efficientis, quasi nulla Substantia effectivè sit ab alio.* Hoc enim falsum est: cum omnis creata Substantia sit à DEO producta. *Sed ratione principiorum constituentium,* quod aliud Ens ad constituendam Substantiam non concurrat, præter quàm principia essentialia seu substantialia: cum contrà Accidentium essentia non nisi substantiâ interveniente perficiatur.

XIX. Aliàs *ex formali ratione* ita' definiri potest in universali: *Substantia est Ens subsistens:* vel ut aliàs loquuntur, *quod per se subsistit.* Quæ definitio relinquitur clara è dictis de subsistentiâ & subsistere. *Sic omne corpus per se subsistit, & est Substantia:* ut stellæ, ignis, aqua, ferrum, arbor, canis, equus, homo, &c. *Sic etiam partes essentielles, utpote materia & forma, sunt substantiæ veræ.* Licet enim *insint, ceu partes in toto:* non tamen propriè toti inhærent; sed *mutuo consistunt ad constitutionem compositi:* neq; insunt tanquam in subiecto; sed per modum partis subsistunt.

XX. Sic se habet *universalis Substantia quidditas absolute spectata:* nunc etiam videndum est, quomodo *determinatè se exferat per suos gradus.* Ubi Substantia limitatè dicitur *vel Universalis, vel Singularis.*

XXI. *Substantia Universalis* est Substantia, cui non repugnat inesse pluribus sibi subiectis particularibus, quibus totum suum esse largitur, nec ab iis separatim existit. Breviter: *Substantia Universalis est, quæ universaliter concipitur;* uti est species vel genus in Substantiis.

XXII. *Substantia singularis* est Substantia, revera extra intellectum existens, & conditionibus individuantibus per hic & nunc in creaturis contracta. Et dicitur *Incommunicabilis ad plura supposita sibi subiecta.*

XXIII.

XXIII. Intelliges verò, quod Substantia singularis sit In-  
communicabilis ad plura supposita, 1. non simpliciter; sed pro-  
pter finitatem in creaturis. 2. non per quemvis modum com-  
municatis; sed per communicatem multiplicabilem, vel per  
modum multiplicabilitatis. Ita namq; Individua seu singula-  
ris Substantia est incommunicabilis, ut non possit multipli-  
cari vel plurificari in pluribus sibi substratis suppositis.

XXIV. Alias rectè credimus, quod essentia singularis  
divina sit communis tribus personis, ideoq; & communicabi-  
lis ad tria supposita: sed sine multiplicatione essentia divina:  
ut ita hoc non sit contra rationem & naturam Substantiæ  
singularis; uti infra in disp. sequentibus disputabitur.

XXV. Eodem sensu Substantia Logicè dividitur in Pri-  
mam & Secundam. Prima Substantia est, quæ neq; de subje-  
cto dicitur, neq; in subjecto aliquo est: ut Socrates, Plato.  
Uno verbo: Prima Substantia Logico sensu est Individuum sub-  
stantiale & singularis Substantia.

XXVI. Substantia secunda est, quæ de subjecto dicitur,  
licet in subjecto nullo sit: ut species & genera, homo, ani-  
mal &c. Uno verbo: Substantia secunda Logica est Substantia  
Universalis.

XXVII. Dico autem, quod Logico sensu ita dividatur  
Substantia in primam & secundam. Nam alias aliter, alioq;  
sensu Metaphysicis & Physicis Substantia dicitur Prima &  
Secunda. Etenim Metaphysicè aut Physicè loquendo Substan-  
tia prima est Ens infinitum, quod est Substantia à se & ex se ex-  
sistens: quomodo solus DEUS est prima Substantia, & pri-  
mum principium omnium Substantiarum. Secunda verò  
Substantia Metaphysicis dicitur illa, quæ est finita, & à Deo de-  
pendet: qualis est omnis Spiritus creatus, & omne corpus  
creatum.

XXVIII. Porro è gradu subsistendi distinguitur Substan-  
tia in Compleam & Incompleam. Hæc est, quæ per se extra

B

com

compositum perfectam speciem non absolvit, quæq; perfectio modo incommunicabiliter non subsistit: ut *luna materia & forma*; itemq; *anima rationalis* in homine, & omnes *partes essentielles & substantiales*, quæ in suo toto subsistunt. Ergò saltem habent subsistentiam *Incompletam*.

XXXIX. *Completa Substantia* dicitur ea, quæ perfectam, essentiam & speciem constituit, adeoq; ex sua naturâ perfectio modo subsistere potest: ut Spiritus, & corpora.

XXX. Combach. paulò aliter ex *Incommunicabili Subsistentia* de hisce Substantiæ gradibus differit l. *Metaph. c. 28.* ubi ita scribit: *Substantia est Incommunicabilis vel tantum in Quod, vel in Quod & Quo simul. Substantia Incommunicabilis in Quod tantum est Substantia Incommunicabilis alicui, tanquam inferiori; sed quæ tamen nata est esse in alio, tanquam pars: ut anima rationalis Johannis. Ea dicitur Substantia Incompleta. Incompleta Substantia est pars vel Realis, vel Rationis. Pars Realis, quæ realem compositionem infert supposito: ut materia & forma. Pars rationis est, quæ conjuncta cum alio compositionem rationis infert supposito: ut differentia. Substantia Incommunicabilis ut Quod & Quo est Suppositum.* Hæc Combachius.

XXXI. Sed ut illa rectè accipiuntur, attendendum est, quod *communicabile ut Quod* dicatur communicabile per identitatem ad inferiora, ita ut constituat aliquid cum aliquo, cum quo est realiter idem. Qua ratione *universalia* communicantur *singularibus*; genera speciebus; superiora inferioribus. *Communicabile ut Quo* dicitur per *Informationem*, ita ut non fit realiter idem alicui; sed eo denominatur aliud. Sic *pars* communicatur *toti*, & *accidens* *subjecto*: Sic anima est communicabilis homini. Confer *Scorum in 1. dist. q. 2. 4. & Nicol. de Orbell. ibidem, & in 3. dist. 1. q. 1.*

XXXII. Quibus ita positis, apparet, quod *Substantia Incompleta* rectè dicatur *Incommunicabilis ut Quod*, nempe ad *plura inferiora*. Aliàs enim fieret *Universale*. Nunc verò loquimur

quimur de Substantiâ Singulari. Imò *omne Individuum & omnis Substantia singularis hoc modo & sensu est Incommunicabilis*. Scilicet hoc Incommunicabile tantum opponitur Universali.

XXIII. Insuper apparet, quod *Incompleta Substantia* sit communicabilis ut Quo: quia per modum partis communicatur composito

XXIV. Sed de *Substantiâ completâ* dubium est satis intricatum: *An illa semper Incommunicabiliter subsistat, ita ut sit proprium suppositum?* Itemq; quia Incommunicabilitate constituatur Suppositum & Persona? Itaq; de subsistentiâ completâ, & de gradu supremo subsistendi, à quo Substantia completa dicitur *Suppositum & Persona*, fusius disputemus oportet. Proinde in disputationibus sequentibus distinctim & seorsim de Suppositi & Personæ ratione disquiremus.

XXV. Tandem hic *Substantiæ Proprietates* veniunt evolvendæ. Sex Substantiarum Proprietates ponunt *ex Arist. l. Categ.* Nempè 1. *Non esse in subjecto.* 2. *Univocè predicari.* 3. *Hoc aliquid significare.* 4. *Nullum habere contrarium.* 5. *Non suscipere magis & minus.* 6. *Ut una numero permanens contraria suscipere possit.*

XXVI. Prima Proprietas facile constat. Quia enim *solius Accidentis est, inherere & inesse*: sanè nulla Substantia erit in subjecto. Et etiam solius, hoc est, Substantiæ proprium.

XXVII. Altera conditio, qua Substantiæ dicuntur *Synonymæ & univocè predicari*, reverà quidem competit Substantiis secundis respectu primarum, uti è Logicis notum est: sed non solis. Non enim tantum hoc est in Prædicamento Substantiæ, ut inferiora univocè dicantur de superioribus; sed etiam in aliis Accidentium Categoriis.

XXVIII. Tertia Proprietas, qua dicitur, *Substantiam significare hoc aliquid, solis primis & singularibus convenit substantiis*. Etenim secundè quale quid designat: prout quale distinguitur

*ab Individuali, & significat Universale; dum repræsentant in ideâ essentiam Substantiæ primæ.*

XXXIX. Quarta conditio *non soli Substantiæ* convenit; sed etiam Quantitati est communis, & aliis Entium speciebus. Quomodo autem vera sit de Substantiis, mox dicetur.

XL. Quinta erat, quod *Substantiæ proprium sit, non recipere magis & minus.* Et hoc verum est: quia essentia Substantiæ consistit in indivisibili.

XLI. Deniq; sexta Substantiarum proprietas erat, quod *una numero Substantia possit contraria recipere.* Quæ omnino solis Substantiis verè competit, adeoq; *maximè propria est Substantiæ.* Hæc enim sola est verum subjectum, in quo subjectantur varia accidentia, etiam non raro contraria diversis temporibus. Sed de illis omnibus fusiùs dicetur, idq; commodius sub formâ Axiomatum. Sint ergò sequentia.

#### A X I O M A T A.

I. *Commune est omni Substantiæ non esse in subjecto.* Arist. in Categ. Patet hoc è dictis, ubi ex Aristotele determinavimus, quod *in subjecto esse dicatur illud, quod in aliquo est, ita, ut non sit pars ejus, in quo est; extra illud tamen esse nequit.* Sic verò nulla Substantia inesse potest; sed sola accidentia in-  
sunt in alio tanquam in subjecto. Rectè hic monet *Smiglecus disp. Log. 8. q. 8.* quod *in subjecto est, id existit, ut quid extrinsecum subjecto, non constituens illud in esse substantiali.* Hinc Substantiæ Incompletæ, *materia & forma*, partes substantiales, non sunt in alio, tanquam in subjecto: quia *existunt in alio ita, ut constituent illud in esse substantiali completo.* Sic *Formæ substantiales & modi* sunt quidem in Substantiâ; sed non tanquam in subjecto. Non enim solum *de ratione subjecti est, ut sustentet aliud; sed ut sustentet tanquam quid Extraneum,* ita ut per illud, quod sustentat, non constituatur in esse. Sic *Accidentia non constituunt subjectum in esse substantiali, & sunt illi merè extrinseca: dant enim illi esse diversi generis.*

Forma

Forma verò substantialis, licet non constituat materiam in  
 esse materiæ: constituit tamen ipsam in esse substantiali  
 completo, ut loquitur ibid. Smigl. Porro *Esse in alio tanquam  
 in subjecto*, est esse in eo per realem Inherentiam, & quidem  
 ita, ut quidditivè id è ratione & definitione nequeat prædi-  
 cari de subjecto. Definitio enim est conceptus quidditativus.  
 At definitio inhærentis non est definitio subjecti. Sic defini-  
 tio albi non est definitio hominis. Hinc *Substantia secunda  
 licet sint in primis; non tamen in illis sunt tanquam in subjecto:  
 quia sunt de quidditate Substantiarum primarum*: itemq; no-  
 mine & ratione dicuntur de illis: ut rectè disputat Ruv. Ro-  
 dens in comment. ad l. Categ. Arist. c. 5. Adde, quod in subjecto  
 esse dicatur duplici modo: 1. *proprie*: quomodo importat re-  
 alem distinctionem subjecti & illius, quod inesse dicitur. Et sic  
 Accidentia sunt in subjecto. 2. *improprie*, quando scilicet il-  
 la, que in aliquo fundata sunt, dicuntur esse in eo, in quo fun-  
 dantur. Sic Substantiæ secundæ sunt in primis: ut animal in  
 Petro. Item, sic animal est in homine, fundamentaliter; non  
 tanquam in subjecto: quia animal etiam esse potest extra  
 hominem; uti est in brutis. Ex quibus omnibus apparet,  
 quod proprie nulla Substantia, sive secunda, sive prima, sive  
 Completa, sive Incompleta, fit in alio, tanquam in subjecto.  
 2. *Substantia peculiare est per se subsistere*. Alex. Aphrod.  
 in 6. Metaph. com. 46. Notandum verò hic, quod *per se sub-*  
*sistere*, ut inhærentiæ in subjecto opponitur, adeoq; generali-  
 ter sumitur, tribuatur Substantiæ quoquo modo sumtæ, sive per  
 se actualiter ac independenter, incommunicativeq; subsi-  
 stat: sive ab aliâ dependeat & cum aliis communicata, & sic  
 in alio supposito sit & subsistat: ut ignis in flammâ, in ferro,  
 in carbone: Elementa in mixtis: partes Substantiarum in  
 toto. Deinde *per se subsistere strictius acceptum*, quod omnem  
 Inherentiam seu Inexistentiam, omnemq; dependentiam ab alio  
 sustentante excludit; tantum suppositis tribuitur, iisq; pecu-  
 liare est & proprium; ut in seq. disp. dicitur.

3. *Substantia nulla est, quæ propriâ destitatur operatione.*  
Albert. Mag. in 6. princip. Vel enim est ipsa forma, vel habet  
formam, per quam constituitur. At verò omnis Forma est  
actus & actiuosa. Ergò ut distincta est ratione essentia: ita et-  
iam distinctas edet operationes.

4. *Substantia nihil est contrarium.* Am. in Porphy. At-  
tende verò, quod contrarium alicui dupliciter dicatur: 1.  
*Subjective*, quatenus aliquid est *subjectum contrariorum*. Sic  
Substantia successivè diversis temporibus omnibus potest  
esse subjectum contrariorum accidentium. Sic aqua iam est  
frigida; alio tempore potest esse calida. Deindè *contrarium*  
*alteri dicitur subjective*, quatenus hoc habet in se unum contra-  
riorum accidentium: illud verò habet alterum contrarium. Sic  
Lupus dicitur contrariari ovi: non quidem ratione Substan-  
tia; sed *ratione qualitatium contrariarum*. Scilicet Ovis est  
subjectum talium accidentium, quæ repugnant Lupo: & hic  
Lupus est subjectum accidentium seu qualitatium talium,  
quæ adversantur Ovi. 2. *Terminative* contrarium dicitur al-  
teri, quatenus *contrarium unum est terminus contrarietatis*.  
Sic calidum est terminus & extremum contrarietatis, respe-  
ctu frigidi. Sic *albedo & nigredo contrariantur sibi invicem*,  
*terminative*; quia sunt termini & extrema istius contrarie-  
tatis. Et hoc modo posteriore verum est Axioma, quod Sub-  
stantia nihil sit contrarium. Sic enim contrarietas solis  
Qualitatibus propriè competit.

5. *Una numero Substantia est susceptiva contrariorum.*  
Scilicet est subjectum, in quo successivè & diversis tempori-  
bus contraria accidentia esse possunt: utpotè in aëre eodem,  
*nunc frigus, nunc calor est*. Rectè autem addit Ammonius in  
Porphy. *Substantia una & eadem numero secundum sui ipsius*  
*muationem susceptibilis est contrariorum, nisi alterum insit ei*  
*naturâ*: ut igni caliditas. Deindè *Substantia est capax contra-*  
*riorum sibi convenientium*, utpotè actuum diversorum; &

quidem



quidem receptivè per modum subjecti: *non per mutationem  
objecti*; uti propositiones dicuntur veræ aut falsæ: *nec tan-  
quam media quedam interposita*: uti qualitates fortè in cor-  
pore simul recipiunt contraria.

6. *Nulla Substantia per se incurrit in sensu*. Interim me-  
diatè & per aliud sentiri potest. Sic *forma hominis* nempe *ani-  
ma*, per se non videtur, nec alio sensu *immediatè* percipitur;  
sed tamen *per operationes suas* sentitur; utpotè *per loquelam*  
*auditur*, &c. Similiter omnis Substantia per sua accidentia  
propria cognoscitur & sentitur.

7. *Substantia non recipit magis & minus*: hoc est, Sub-  
stantia secundum *esse substantiale* non est magis Substantia,  
quàm altera: Sic *unus homo non est magis homo, quàm alter*.  
Causa hæc dari potest. *Id facit magis & minus, quod parti-  
cipat aliquam rationem vel formam, non secundum totam ejus  
perfectionem; sed secundum majorem vel minorem*. Ut aqua,  
cum sit magis calida, recipit calorem secundum majorem  
ejus perfectionem. *Ea verò non recipiunt magis & minus, que  
habent aliquam formam in indivisibili consistentem, & que  
non potest participari divisibiliter secundum majorem vel mi-  
norem perfectionem; sed tota simul*. Talis perfectio est Sub-  
stantiæ: dicit enim Substantia essentiam per se existentem.  
At essentia sub ratione essentiæ non potest, nisi indivisibili-  
ter haberi, & tota simul: *Smiglecius disp. Log. 8. q. 8*. Deindè  
*causa intensiōis & remissionis censetur esse contrarietas*. Illius  
*causa est purgatio à contrario*. Ut magis album dicunt, quod  
nigro non ita est immixtum; & melior appellatur, qui à ma-  
lo magis remotus est. *Remissionis causa censetur permixtio  
contrarii*. Ut minus bonus dicitur, qui à vitiis non simplici-  
ter est immunis. Hinc cum Substantiæ nihil sit contrarium  
non etiam propriè recipiet magis aut minus. *Intelliges ve-  
rò Axioma hoc modo: quod Substantia formaliter & per se  
non recipiat magis & minus*. Item, quod *ratione Substantiæ  
aut*

aut essentia non intendatur aut remittatur. Aliàs non negari potest, quod per accidens Substantia recipiat magis aut minus, in actu substandi: quatenus nimirum 1. *præstantioribus prædita est accidentibus.* 2. quatenus una Substantia magis ad basin prædicamentalem Substantia accedit. Quod fit, quando genus formam præstantiore contrahitur. Ut animal contrahitur per rationale: & ex animali & rationali constituitur Homo, qui fanè præstantior est Substantia, quàm animal; non quidem per se, *quoad esse substantiale*; sed per accidens, *quoad modum & gradum substandi*, quo plus actu dicitur esse in homine, quàm in animali. Et hic facit illud: *Substantia primæ præstant secundis*, quoad actum substandi & fundamentaliter. At *Substantia secundæ præstant primis respectu intellectus*: quia semper manent, ubi primæ intercunt. Breviter ita dicitur: *Intensio est crescentia alicujus forme secundum esse in subjecto.* *Remissio autem est decrecentia forme secundum esse sive existentiam in subjecto.* Utraq; significatur susceptione & magis & minus. Hinc concluditur: *Substantia non potest remitti & intendi in attributo aliquo suo substantiali, ita ut tale attributum substantiale predicetur de Substantiâ cum magis & minus.* Vide plura apud Scheibl. in comment. Log. ad c. 3. de Substant. & alios Logicos in categ. Subst.

## A P P E N D I X

De

### USU PARTIS SPECIALIS METAPHYSICÆ.

Essent etiam non pauca, quæ in *Specialis Metaphysicæ Disputationibus* singulatim & seorsim moneri possent *de usu & abusu terminorum* inibi solitorum: sed cum *bujus partis Metaphysicæ utilitas* non adeò sit hæctenus à maleferiatis illis Schillingianis & Ramistarum adfectis in dubium vocata, neq; etiam potuerit unquam *Substantiarum & Accidentium cognitio*, quæ hoc loco universaliter suscipitur, non ubiq; necessaria

*cessaria deputari & fructuosa: cumq; etiam per se facile appareat usus sequentium disputationum; non aded opus esse judicamus, ut sub finem singularum disputationum seorsim agatur de Usu aut Abusu. Itaq; censemus, in posterum hoc labore nos supersedere posse. Quod si quaedam *rariora & cariora* occurrerint, sparsim in ipsis vel Thesibus, vel Axiomatibus vel Quæstionibus annotentur, curabimus. Sanè *presens disputatio* satis se commendabit in disputatione illa, quæ *contra Flacium* urgetur *de Peccato Originali*, num sit Substantia, nec ne. Non dicam, quantum juvabit accurata Substantiæ cognitio *contra furores & insanias Neotericorum Weigelianorum de pictis ipsorum & fictis duabus terris in uno homine existentibus: de duobus unius hominis corporibus, spiritali & corporali: de homine interno & interno: de morte essentialiter cum hominibus unita: de corruptione hominis Substantiali: de peccato, quod insaniunt & substantiam esse & accidens: itemq; de infinitis similibus contradictoriis & blasphemis absurditatibus, quas passim in sua postilla, in Dialogo de Christian. im güldenem Griff/ in suo nosce te ipsum: in tract. de Loco mundi, &c. eructat Weigelius: eosq; adhuc hodie ejus complices, & fanatici non pauci revocant urgentq;. Similiter contra Photinianos aliosq; hereticos quantum profint contemplationes Metaphysicæ de Substantia naturâ, de Subsistentiaratione: aliæq; de Supposito, de Personâ, de Accidentium quidditatibus, &c. magis notum est, & experientiâ confirmatum, quàm ut mea industria quoad manuuctionem uberiores hic desiderari possit.**

### Q U Æ S T I O . I.

*An Ens analogicè contrahatur ad sua inferiora?*

Primò dicendum est ens non contrahi ad modum æquivoci, nec univoci. Revera enim sunt omnia entia, & proprie

C

ptiè

præ ipsiſ convenis, realis entitas ſed non uniformiter, nec  
per τὸ αὐτὸν α. Deinde distinguo inter genus Analogum &  
inter conceptum præ Analogicum. Ens dicit conceptum  
analogicum & ad modum analogi contrahitur ad ſua im-  
mediate inferiora, nempe ad Deum & creaturas, itemq; ad  
Subſtantiam & accidens. Quandoquidem Deo & creaturæ,  
ſubſtantię & accidenti, tum nomen Entis, tum definitionem  
ejus in eſſe deprehendimus; verum inæqualiter. Creaturæ  
enim ſuam entitatem participant à creatore. Hic namq; per  
ſe & à ſe eſt Ens: Illæ autem, quod ſint entia, à Deo id ac-  
ceptum referre neceſſum habent. Non ſecus & entitas acci-  
dentis dependet à ſubſtantiarum incolumitate. Cum enim  
accidentium eſſe ſit in eſſe, quomodo poterunt exiſtere ſine  
illo, in quo eſſe nata ſunt? Ut verò jam analogiam hic obti-  
nere diſpaleſcit: ſic verum genus analogum hic non poſſu-  
mus agnoſcere. Quandoquidem nullum genus prædicatur  
de ſuis differentiis in Quid. Dicere enim nequeo, Rationa-  
litas eſt animal, irrationalitas eſt animal, &c. Sed ſunt diffe-  
rentiæ diviſivæ animalis. At verò Ens dicitur de ſuis diffe-  
rentiis nempe Subſtantia & accidente in quid. Dicamus igitur  
oportet conceptum analogicum in Ente locum habere,  
non genus analogum.

II.

*Per quam Universalis entis conceptus cum ſuis modis  
contrahatur, & in quibus personaliter pri-  
mò representetur?*

Quod ens analogicè contrahatur, ſupra dictum: hic jam  
determinanda ſunt illa inferiora, in quibus ens contractè  
ſuntum fundetur. Contrahere igitur nobis hæc eſt, rem ad  
ſpecificam quandam rationem determinare, ita ut quod ens  
ante erat ſine reſtictione, poſtmodum certis canellis quaſi  
includatur. Dicimus autem, quod Ens ritè & ſuffieienter li-  
mitetur per id, quod ſubſiſtit & per id, quod in hæret: hoc eſt  
per

per subsistentiam & inhærentiam. Deprehendimus enim in omnibus essentiis quædam, quæ rei inhærent, quibus remotis nihilominus res subsistat; illa quæ inhærent, accidentia, quæ subsistunt, substantias indigitant, aded ut accidentis esse sit inesse sive inhærerere. Substantiæ subsistere: illius formalis ratio sit inhærentia, hujus autem Subsistentia. Sic ergo omne ens primò & verè contrahetur per Substantiam & accidens, juxta vulgare illud:

*Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum.*

*In duo divisit quicquid in orbe fuit.*

Nil autem hic moramur illos, qui Deum esse substantiam negant, adeò illam contractionem entis non exhaurire totam entis latitudinem clamitant: sed absumendam esse illam in finitum & infinitum: cum hi partem nesciant discernere inter formale substantiæ, & inter ejus accidentia, partim confundant esse substantiam & esse in substantiæ categoriâ; partim deniq; falsò supponant divisionem entis in finitum & infinitum esse omnium primam. Nos autem hanc nostram contractionem in accidens & substantiam primas obtinere facile dabimus evictum: quandoquidem ex ipsa entis essentiâ fuit: cum illa demum affectiones entis concomitentur. Etenim Substantia dicit ipsum ens, & accidens dicit ipsum ens cum addito modo, quo revera in natura sua existit. Sic igitur concludo. Quemadmodum ens, quando simpliciter supponit neq; Substantia est neq; accidens, sed communis utriq;: sic, quando personaliter supponit, semper se se exerit in Substantiâ vel accidente, adeoq; verè & sufficienter ens contrahitur per Subsistentiam & inhærentiam.

**F I N I S.**



AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle


003 357 104

3









B.I.G.

Farbkarte #13



21

PHYSICÆ  
TIO I.

SENTIA

ERE,

MMUNI AB-  
CTATA,

Numinis  
DIO

SCHARFII,

densis, Facultat.

uncti,

na


ACADEMIA

submittit

HOMMEL

Sax. Alumn.

a. 7. matutinis.



RGÆ,

STIANI THAM,

gr.

XXIV.

